



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Heribertvs Ep. 16. Mart.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

gallo expergefactus. Veneris flamas vel vepribus suffocavit, vel gelidâ extinxit. Sportulam lauram unctamque cùm Papiensis Comes in Bacchanalia submisisset, hospiti eam servaturum se promisit; is ursus fuit, qui è manu Divi cœnavit, dignissimus Bacchanalibus hospes. Atque huic prædam cùm lubens volens concessit, sed non perinde lupo puerum. Eriput enim hunc, pœnamque lupis omnibus illic morantibus exilium indixit. Atque hoc est, cur exuli Senensi (cui redditum in patriam impetravit cælo jam receptus) cùm Divi effigiem penes se habere hic percuperet, visendum se cùm lupo gremium premente præbuerit. Portò TORRELLVS moriturus Angelum habuit monitorem. Scio habere eum tu quoque percepteres. Et verò nisi aures claudis, hodie habes. Ex Ferrar. & Chron. Min.

Va tibi, qui post lapsum fortiorum te nobis exhibes! Ut quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas frangi, quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare, S. Bern. in F. SS. Pet. & Pauli.

S. HERIBERTVS EP. 16. Mart.

S Plendorem D. HERIBERTI, quo sive in aula Otton. Imp III. sive Pontificatu deinde Coloniensi conspicuum orbi se fecit, indicavit ingens, quæ matrem parientem lux ambivit. Illustriore fecerunt radii; qui precantem persæpè cinxerunt, aliaque cùm admiratione facta. Et fortè cælum imbres suos terris subduxerat, cùm ecce HERIBERTVS, supplex ad Divorum pulvinaria factus, vix oculis pluit, cùm cælo Devs. Tunc etiam euntem

eunte m columba comitari visa est , & ad extre-
mum in cælos sublimis abire. Eò per infima quæ-
que munera charitatis tendere HERIBERTVS. Ita-
que pauperculæ filium ipse sacro fonte voluit
mergere , alterum tollere mersum , pauperisque
cœnæ eo die conviva esse, docturus nostram æta-
tem, parvo (si velint) opsonare etiam infulas posse.
Iam monasterio construendo cùm locum circum-
spiceret, hunc Deipara ipsa signavit , ut viderent
Mariani, quæ maximè ædificia VIRGO probaret.
Sub hæc cùm infensus HERIBERTO S. Henr. Imp.
esset, castigatus à cælo non dubitavit cum hostili
animo purpuram exuere , & ad ipsos Pontificis
pedes descendere , veniam osculis lacrimisque ro-
gantibus. Iam moriturus hic heredes scripsit
(ad e st testamento Pontifices) fratres suos , non
quos caro sed pauper Christus germanos fecerat,
quosque ille non fratres modò dicere, sed Domi-
nos etiam est solitus. Tum demum in cælum abiit,
non aberraturus , quia & Divorum choros obvios
habuit , & columba illi jam olim viam monstra-
vit. Ex Surio.

*Manus pauperis est Gazophylacium Christi; Da
ergo homo pauperi terram, ut accipias calum : da
nummum , ut accipias regnum; da micam, ut acci-
pias totum : Da pauperi, ut des tibi; quia quicquid
pauperi dederis, tu habebis , quod non dederis, habe-
bit alter. S. Petr. Chrys. serm. 8.*

S. PATRICIVS E P. 17. Martij.

PATRICIVS puer servitutem serviit Hibernis;
magno horum bono : è servitute enim domi-
nos suos seruus eripuit. Id hoc modo factum.
Parvulum è Musarū fænu latrunculi in Hiberniam
abdux-